

M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Melissa vestris quaestionibus respondet !

... *Quid novi de Latinistarum consociationibus ?*

☞ p. 2

... *De origine mundi, de qua praeterito fasciculo multum actum est, cui denique credendumst ?*

Utrum Scripturae Sacrae an scientiae ?

☞ p. 3

... *Solentne diplomata adhuc*

Latine scribi ?

☞ p. 7

... *Suntne re vera multa, quae*

naturalibus legibus explicari

non possint ?

☞ p. 10

... *In quibus terris floret Musa*

Latina ?

☞ p. 13

... *In orbe Latino quid novi ?*

☞ p. 14

... *Ubi hoc anno poterimus*

sermonem Latinum exercere ? Tam multae erunt occasiones, ut una pagina non sufficiat !

☞ p. 15



DE CONSOCIATIONE «EUROCLASSICA»

REFERT GAIUS LICOPPE

Euroclassica, consociatio Europaea magistrorum qui linguas classicas Latinam et Graecam docent, condita est ante nonnullos annos. Tunc temporis magistri nationum orientalium, quae a iugo communistico eodem fere tempore liberatae erant, rem participare voluerunt. Obstabat, ut semper fit in rebus Europaeis, linguarum multiplicitas. Orientales Europaei proposuerunt, ut lingua Latina in consociatione adhiberetur tamquam sermo communis, id quod eis maxime commodum videbatur esse, cum omnes sodales propter suam professionem essent linguae Latinae periti. Occidentales vero eandem sententiam non habuerunt. Nam plerisque eorum, neglecta longa traditione, numquam fuit consuetudo scribendi et loquendi. Quare orientalium propositum respuerunt. Sic factum est ut consociatio Euroclassica praetermitteret historicam occasionem veteris consuetudinis Europaeorum renovandae in rebus culturalibus.

In fasciculo 109 periodici, quod edere solet societas linguas classicas docentium in Belgicae parte Francophona (Fédération des Professeurs de

Grec et de Latin) legitur relatio conventus, quem Euroclassica a die 28 m. Aug. in diem 1 m. Sept. a. 1997 in insula Chio instituit. De relatione conscripta a magistra Daniela De Clercq nonnulla deprompsi et in Latinum verti, quae vobis hic propono. Thema fuit: «Homer and european literature». Inter alia leguntur haec: «Pleraque acroases factae sunt lingua neograeca; de quibus peritiores philologi unum alterumve verbum intellegere conantes tali desperatione premebantur, quali afficiuntur discipuli translationem nimis arduam adgredientes. Feliciter etiam multum adhibita est lingua Shakespeariana, id quod levamento fuit plerisque non Hellenibus, qui se re vera sentiebant semibarbaros atque quaerebant quo modo linguam Anglicam perdiscere possent sine detrimento studii nostrarum cararum linguarum defunctorum. Lingua Francogallica raro audita est inter hanc cacophoniam. Inde intellegitur meliorem sessionis partem fuisse lustrationem insulae Chii.»

Talia legens, nescio utrum potius sit ridendum an flendum... ☹

DE ORBE NEOLATINO

Orbis Neolatinus est Flandrorum doctorum consociatio studiis humanis neolatinisque fovendis (Vlaamse Vereniging voor de Studie van Humanisme en Neolatijn). Ei praest professor Theodoricus Sacré Antverpiensis et Lovaniensis, qui ad nos modo misit programma primi «Colloquii didactici neolatini». Fiet Lovanii in domo Erasmania die 14 m. Februarii a. 1998. De diversis recentioribusque auctoribus Latinis tractabunt professores et docti, inter quos libenter recordamur de Luca Devoldere, qui anno 1987 optimam lustrationem Latinam urbis Gandavi duxit pro participibus seminarii Belgici. Inter oratores etiam numeratur Dominica Velghe, quae ad Latinas sessiones Bruxellenses participandas nuper adducta est a professore Terentio Tunberg... Americano!

Ei, qui plura scire velint de Orbe Neolatino, scribant ad Marcum de Schepper secretario, Koninklijke Bibliotheek, Keizerslaan 4 - B-1000 Brussel (tel. 02-519 55 19).



DE CREATIONE ET SCIENTIA HODIERNA

SCRIPSIT ROBERTUS DEPREZ

INTRODUCTIO

Postquam nata est scientia moderna atque homines structuram κόσμου seu universorum intellegere coeperunt (investigationibus Nicolai Copernici, Iohannis Kepler, Galilaei Galilei aliorumque), apparuit mundum non esse tam simplicem quam antea putabatur: Terra planeta non iam centrum universorum erat, Luna¹ aliaque corpora caelestia non sphaerae perfectae erant, sed montes vallesque in eorum superficie erant, planetae Mars Iuppiter Saturnusque satellites habebant; mox compertum est alios planetas esse, quos oculus conspicerere non potest, stellas non immutabiles esse, sed nasci, inveterascere et mori, systema nostrum solare minimam partem esse galaxiae qui unus tantum inter milia miliaque galaxiarum est... Mentis hominum, ut facile intellegi potest, haud parum perturbatae sunt atque tribunal Inquisitionis initio saltem novas theorias cosmologicas earumque auctores reprimere conatum est. Omnia autem illa ad hominem ipsum nondum pertinebant; sed, undevicesimo saeculo, praecipue impulsu Caroli Darwin, homines scientifici paulatim intellexerunt genera speciesque animalium non semper talia fuisse, qualia nunc apparent, sed decursu temporis transformata esse, atque hominem ipsum - horribile dictu! - ex animalibus prioribus, simiorum similibus, originem ducere. Nata erat *theoria evolutionis*. Feliciter tribunal Inquisitionis abolitum erat, sed homines docti qui novae theoriae favebant non minores controversias sustinere debuerunt quam decessores eorum. Mirum in modum - et haec est clavis totius disputationis - causa maxima illarum controversiarum non fuit scientifica (i.e. non pertinebat ad data ipsa vel modum inquirendi) sed philosophica: homines credentes scientiam habebant religionis hostem atque putabant novas theorias inventas esse ut fidei nocerent, homines athei dicebant se veritatis propugnatores esse contra obscurantismum atque nonnulli eorum non dubitabant finem omnium religionum praenuntiare (ex his cogitationibus natus est Marxismus). Nihil inanius, vanius, ridiculius illa conflictatione: religio et scientia nequaquam ad eundem aspectum rerum pertinent; doctrina religiosa de creatione, ut infra demonstrabitur, fundat necessitudinem inter Deum et hominem, sensum dat historiae et

vitae humanae; scientia autem ordinem rerum naturalium describit. Neutra disciplina potest alterius vice fungi; qua de causa notio creationis et data scientiae modernae non sunt inter se incongruentia. Erraverunt homines temporum praeteritorum qui, distinctionis illius obliti, omnia commiscuerunt. Et quid dicendum est de iis qui *creationistae* dicuntur et adhuc hodie in eundem errorem absurde incidunt? Si quis vero Sacras Scripturas attente scrutatus erit, animadvertet eam distinctionem ibi perspicue apparere.

*
* *

DE CREATIONE IN SACRIS BIBLIIS



In multis religionibus vel scholis philosophicis nulla est notio creationis proprie dictae: sive mundus modo cyclico semper renovatur, sive (ut e.g. in Mesopotamia antiqua) dei *ordinatores* tantum cuiusdam χάους originalis sunt, non *creatores ex nihilo*.

In religione autem Iudaica et Christiana², Deus

creator est omnium rerum mundi et etiam hominis. Afirmatio illa fundamentalis est, quia relationes inter Deum et hominem non possunt concipi sine notione illa creationis. In principio enim revelationis, Deus sibi eligit populum atque eum ex servitute Aegyptiorum liberat; *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti de domo servitutis* (Ex.20,2): haec verba sunt *diploma identitatis*, si ita dicere licet, quo Deus seipsum nominat antequam foedus cum populo electo feriat in monte Sinai. Sed paulatim, rebus historiae docentibus, religio ad quendam universalismum tendit; salus Dei non iam uni populo, sed omnibus hominibus destinatur; non sufficit e semine patriarcharum natum esse, sed oportet bonam vitam agere; salus denique non est iam materialis, sed spiritualis: Deus homines a morte liberat et eis vitam suam propriam dat. Ergo fundamentum primum religionis fit *creatio* ipsa qua omnis homo etsi pars est mundi materialis in quo vivit, simul a principio vinculo generationis cum Deo unitur; vinculum illud peccato originali frangitur, sed Deus promittit se hominem salvaturum esse. Omnia elementa illa in textu Biblico inveniuntur, qui non narrat *origines materiales* mundi neque describit, sed explanat cur homines omnes a Deo salvari possint. Sacra Scriptura incipit a narrationibus creationis, non solum propter causam chronologicam, sed multo magis quia creatio clavis est qua omnia quae sequentur explanari possunt³. Adam, atavus omnium hominum⁴, toti humanitati transmittet condicionem suam hominis creati, peccatoris, mortalis, qui salvationem a Deo exspectat.

Nunc textum ipsum accuratius inspiciamus: duae sunt in libro Genesis narrationes creationis, quarum prima recentior est.

1. narratio sacerdotalis (6^o s. a.C.n.): Gn. 1,1-2,4a

Momentum liturgicum huius narrationis, quae scripta est tempore quo sacerdotes, regno deleti, populum regendum susceperant cultumque restaurare conabantur, manifesto apparet in mentione septem dierum hebdomadae et praecipue quietis diei sabbati. Influxus mythologiae Babylonicae etiam percipitur: verba *tohu vabohu* (Latine *inanis et vacua*, Graece ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος), quibus terra initialis describitur, chaos primitivum quod in origine mundi secundum Babylonios erat, revocant. Sed hic Deus chaos illud primitivum ipse in principio creavit (1,1). *Et spiritus Dei ferebatur super aquas* (Hebr. *veruah Elohim merahefet 'al-penej hammajim*; Gr. καὶ πνεῦμα θεοῦ ἐπέφερέτο ἐπάνω τοῦ ὕδατος) imaginem praebet a diis alatis Assyriorum aliorumque populorum orientalium parum differentem⁵.

Narratio non est et non vult esse descriptiva:

nonnulla enim elementa rationi repugnant, quae auctor conscius scripsit: e.g. iam tres dies sunt (*factum est vespere et mane*: vv.5,8,13) ante creationem solis et lunae.

Res naturae creantur «exterius», si ita dici potest, formulis *fiat... et facta est...* (v.3), *fiat... et factum est ita* (vv.6,7), *congregentur... factumque est ita* (v.9), *germinet... et factum est ita* (v. 11), *fiant... et factum est ita* (vv. 14,15), *producant* [Nova Vulg. *pullulent*]... (v.20), *producat... factumque est ita* (v.24), i.e. verbo temporali 3^a persona; e contrario: *faciamus hominem...* (v. 26): Deus magis se implicat in creationem hominis. Hoc adhuc magis perspicuum est in textu Hebraico, ubi non est *fiat* sed *sit, esto: fiat, factum est, etc.*, scripta sunt imitatione linguae Graecae, ubi verbum *esse* (εἶναι) defectivum est et non habet formas idoneas (i.e. aoristas), pro quibus ponuntur γενηθήτω, ἐγένετο etc. Praeterea propter peculiaritatem grammaticalem linguae Hebraicae, quae *vav conversivum sive inversivum* vocatur⁶, effectus iterationis tantum visu quantum auditu acuitur, nam forma imperfecta (quae et optativa est) vim perfectam acquirit; verbum Dei et res acta eodem modo exprimuntur: *jehi... vajehi...* (v. 3), etc.

Deus quae creavit videt et bona sunt (vv.4,10,12,18,21,25,31).

Progressio est in creatione rerum naturalium, deinde animalium, etc.: homo finis illius progressionis est, ergo pars naturae, sed *ad imaginem et similitudinem* Dei creatum (vv.26,27).

2. narratio iavica⁷ (ante 8^{um} s. a.C.n.?): Gn2,4b sqq.

Creatio hominis centrum narrationis huius est. Vix quicquam dicitur de terra, plantis, animalibus... Homo eis nomen imponit (2,19-20).

Differentia inter hominem et naturam firmatur: *Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius* (v. 20).


Homo factus est ex humo terrae sed Spiritum Dei accipit (v.7): *tunc formavit Dominus Deus hominem pulverem de humo et inspiravit in nares eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*⁸ (Hebr. *vajjtser Adona' Elohim et-ha'adam 'afar min-ha'adamah vajjippah be'appav nishmat hajjim, vajehi ha'adam lenefesh hajjah*; Gr. καὶ ἐπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον χῶν ἀπὸ τῆς γῆς καὶ ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς, καὶ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν). Hic verbum temporale non est *facere* (Hebr. *'asah*, Gr. ποιεῖν; cfr. 1,26) neque *creare* (Hebr. *bara'*, Gr. etiam ποιεῖν; cfr. 1,27), sed *formare* (Hebr. *jatsar*, quo verbo exprimitur actio figuli vasa fabricantis, Gr. πλάσσειν); v.7: *formavit Dominus Deus hominem...* v.8: *in quo [paradiso⁹] posuit hominem, quem formaverat...* Origo naturalis (humus)¹⁰ et operatio Dei et vita eius hominem faciunt: tres igitur res.



Momentum sexualitatis humanae modo peculiari affirmatur.

Textus iavicus pergit narratione casus originalis (Gn.3).

*
* *



CONCLUSIO

Ex iis quae supra volutavimus manifestum fit scopum narrationum Biblicarum de creatione non esse res naturales explicare neque evolutionem earum describere, sed res spirituales exponere: hoc agnoscendum est non solum quia scientia moderna demonstravit origines rerum alias fuisse, sed etiam quia textus ipsi id ostendunt. Sacra Scriptura docet Deum creatorem mundi hominisque esse; homo pars mundi materialis est, animal a Deo formatum, sed aliquid vitae divinae accepit, unde creatura fit ab omnibus ceteris diversissima: potest naturae dominari (etiam propriae naturae!), rebus nomen dare, eligere inter bonum et malum. Cum libertate et potestate illis non semper recte utatur, a vita divina separatur: condicio eius fit pessima, sed Deus eum non derelinquit atque salute sua desiderium eius implebit. Doctrina haec imaginibus exprimitur, sicut plerumque in Sacris Bibliis. Non diximus - quod nonnulli falso putant - Sacram Scripturam esse meram allegoriam, tamquam pulchrum poëma symbolicum quod ad nihil nisi animam commovendam tenderet, unde pietas nutrireretur; immo nobis Christianis Scriptura *veram significationem* praebet, qua fides nostra nititur. Sed (hoc tantum dicimus) ii qui textus illos ad litteram interpretari volunt valde errant.

Etiam cavendum est ab eis, qui cupiunt omnibus modis vincula inter textus Biblicos et scientiam modernam invenire: exempli gratia, creatio lucis primo die (cum sol et astra nondum sunt) esset dispositio illa *big bang* vulgo dicta, etc. Certe, unicuique licet interpretationem suam dare; homines autem qui tales opiniones proferunt (fortasse *neocreationistae* vocari possunt), num lectiones saeculorum praeteritorum bene didicerunt? Revera fides est fides, scientia est scientia; non potest scientia sensum vitae neque historiae dare, non debet fides veritatem imponere. Non debemus fide uti ut foramina cognitionis nostrae obturemus, et e contrario operam perdimus si volumus in rebus naturae indicia certa et obiectiva invenire quibus fidem vel conceptus nostros philosophicos probemus! Alius dicit nihil in mundo sine Deo explanari posse, alius asserit Deum non esse quia nullus cosmonauta eum unquam vidit! Quis negabit utrumque stultissimum esse?¹¹

Ita nulla est incongruentia inter doctrinam de creatione et data scientifica hodierna et vanae sunt controversiae quae scientias naturales cum religione commiscent. Sed magni momenti est hominibus (praesertim iunioribus) sensum verum Scripturarum explanare et inventa scientiae eos docere, ut obscurantismo et falsis doctrinis sectarum resistere possint.

*
* *

ANNOTATIONES

¹ In contextu rerum astronomicarum, melius mihi videtur nomen Lunae (i.e. satellitis naturalis Terrae) per *l maius* scribere, ut omnis confusio vitetur; verbum enim *lunae* (per *l minus*) hodie potest usurpari communi sensu pro *satellite* cuiuslibet planetae (e.g. de *lunis Iovis*, etc.).

² Non locuti sumus de Islamismo, cum religio illa, ut omnibus notum est, alio libro sacro utatur. Quae autem de Iudaismo et Christianismo dicimus, magnam partem ad Islamismum transferri possunt; exceptis enim zelotis, qui nunc *integristae* nuncupantur, muslimi putant nullam contradictionem esse inter religionem suam et scientiam hodiernam.

³ cfr A. Chouraqui, La Bible, Liminaire pour *En tête* (p. 17): *Et, de fait, ce livre ne cesse pas d'être l'Entête du Pentateuque et de la Bible tout entière. Non seulement il rapporte la genèse du monde, mais il donne aussi la clé du Livre.* Latine: *Et hic liber quidem [Genesis] integre Caput est Pentateuchi totorumque Sacrorum Bibliorum. Non solum genesim mundi refert, sed etiam clavem dat Libri [= Bibliorum].* Ut sententia haec clare intellegatur, oportet scire librum Genesis apud Hebraeos titulum proprium non habere, sed a primo verbo designari: *bereshit*, quod Latine redditur *in principio*, sed potest etiam reddi *in capite*.

⁴ Et Noe atavus est omnium hominum, si solus cum filiis suis e diluvio superstes evaserit! Diluvium quodammodo et iteratio creationis et

praefiguratio Salvationis est. Verba quae Deus post diluuium Noe dicit simillima sunt verborum quae Adamo dixit (cfr Gn.9, passim).

⁵ Cfr. quoque Ahura Mazda, deus summus Persarum, qui repraesentatur ut orbis alatus unde figura regis emergit. N.B. in Hebraico *merahēfet* est forma activa quae fortasse melius redderetur per *volitabat* quam per *ferebatur*.

⁶ *Vav* illud tertia littera alphabeti Hebraici est (cfr F Graecorum); ea scribitur particula copulativa *ve, va* (= et, καί), quae vim grammaticalem peculiarem habere potest: cum ante verbum temporale ponitur, aspectus (perfectivus vel imperfectivus) permutatur: e.g. *fuit* = *haja* (perf.), *erit* vel *sit* = *jihjeh* vel (forma brevior) *jehi*; *vajehi* = non et erit, sed *et fuit!* Particula illa persaepe usurpatur in narrationibus biblicis, et haec est causa cur *et* et καί tam crebro in versionibus legantur, quamquam interpretes nonnunquam varietatis causa alio verbo utuntur (autem, δέ). N.B. perspicuitatis causa, semiconsonantem *jod* in transcriptionibus verborum Hebraicorum per *j* potius quam per *i* reddidimus.

⁷ Periti homines docent originem Pentateuchi constare e quattuor fontibus, qui vocantur *elohicus, iavicus, deuteronomicus, sacerdotalis*. Duo priores appellationem acceperunt a nomine Dei, quo crebrius utuntur: *Elohim* et «*Jahveh*» (JHVH). Scripsimus *iavicam* potius quam *jahvicam* ut orthographia usui Latino adaptaretur. Transcriptio enim litteralis et scientifica adiectivo derivato minus convenit quam nomini ipsi, praecipue cum pronuntiatio illius nominis incerta sit.

⁸ Versionem Novae Vulgatae Editionis dedimus, quae magis textui Hebraico adhaeret. Vulgata: *formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.*

⁹ *Paradisus*: Graece παράδεισος, Hebraice *pardes*. Hoc verbum origine Persicum hoc loco legitur in versionibus Graeca et Latina, non in textu Hebraico, ubi est *gan* (hortus). Traditio iavica antiquior est quam ut vocabulo *pardes* utatur: verbum hoc Hebraei acceperunt tempore imperii Achaemenidum; primum apparet, ni fallimur, in libro Nehemiae (post 5^{um} s. a.C.n. scripto). De *paradisi* enim significatione propria et originali cfr. P. Briant, De l'Indus aux Balkans: les Grands Rois et leur Empire, in *Dossiers d'Archéologie* 127 (1997), p.32: *Dérivé du perse, le terme «paradis» renvoie à de vastes espaces aménagés somptueusement «pour le plaisir des rois et des satrapes». Réserves de chasse, lieux d'expérimentation horti-*

cole et animale, le paradis est également un vaste jardin d'agrément irrigué et rafraîchi par les eaux courantes. Déjà connu à l'époque assyrienne, le paradis devient chez les Perses partie quasi intégrante des palais qui s'ouvrent largement par des portiques sur une profusion de bosquets, d'arbres, de gazon et de fleurs. Latine: Vocabulum paradisi origine Persicum significat vastas areas lautissime ornatas ad delectationem regum satraparumque. Paradisus saeptum venationis est, seminarium ubi flores inseruntur pecudesque aluntur, necnon vastus hortus voluptarius aquis fluentibus irrigatus et refrigeratus. Iam Assyrii talem paradisum habuerunt, qui apud Persas factus est pars fere necessaria aedium regalium porticibus late patentium in silvas arbores caespitem floresque abundantissimas.

¹⁰ Ut patet, Hebraice *'adam* (homo) et *'adamah* (humus) ex eadem radice oriuntur, similiter atque verba Latina quibus vertuntur. Hoc non est casu factum. Lingua Latina est lingua Indoeuropaea; lingua Hebraica est lingua Semitica; linguae Semiticae unus e ramis sunt linguarum Afroasiaticarum (quae antea *Chamitosemiticae* dicebantur). Multi nunc homines periti putant linguas Indoeuropaeas et Afroasiaticas originem communem ducere a lingua *Nostratica*, ut eam appellant, quae circiter ante 10 vel 15 milia annorum in usu fuerit. Alii hypothesin hanc respuunt et autumant similitudines inter linguas illas propter contactus antiquissimos factas esse (origo enim linguarum Indoeuropaeorum non fuit in Europa orientali, ut antea putabatur, sed in Anatolia orientali vel Mesopotamia septentrionali, i.e. non procul a terris quas populi Semitici incolebant). Quidquid id est, notio necessitudinis inter *hominem* et *humum* videtur e remotissimis praehistoricis temporibus orta esse. E radice primitiva quae potuit esse *HDM* nata sunt fortasse verba Hebr. *(h)adamah*, *(h)adam*, Lat. *hu(d)mus*, *ho(d)mo*, et Gr. χθών. Cfr. Th. Gamkrelidze et V. Ivanov, L'aube des Langues indo-européennes, in *Pour la Science Hors-Série oct. 1997*, pp. 58-59 (symbola originalis edita est in *Scientific American*).

¹¹ Infeliciter tentatio illa semper manet, et tantum ad credentes quantum ad non credentes pertinet. Duo exempla recentia afferamus: nonnulli voluerunt in sindone Taurinensi indicia comperire Resurrectionis Domini (quam displosionem fuisse nuclearem dixerunt!), alii in voluminibus prope mare Mortuum inventis legerunt res, quibus certe scirent Iesum non esse filium Dei! Stultitia humana infinita est. ☩



DIPLOMATA

BRUXELLENSIBUS DOCTORIBUS H.C. DONATA

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

M*elissae* fasciculus proximus superior praeter alias res elogium P. Balduini Cabillavii e S.I. (1568-1652) tunc primum editum continebat¹; in mente mihi erat eiusdem poetae elogio subiungere poemata nonnulla e quam plurimis selecta: at permultis negotiis distentus ab hoc incepto avocabar. Itaque aliud ad eam rem tempus erat seponendum; debitum autem non ad Kalendas Graecas solvam, verum ad Idus Apriles (nam ad eiusdem mensis Kalendas spondere non minus est ridiculum). Ne vero *Melissae* legentibus non facerem satis, e mensa prompsi quae in promptu ibi habebam, diplomata dico Latina iussu rectoris Academiae Bruxellensis nuperrime scripta. Eiusmodi enim testimonia publica Latine partim, partim Nederlandice exarari apud nos solent: Nederlandica autem proficiscuntur e studiorum universitate Antverpiensi, Latina (quantum scio) e Flandro-Lovaniensi atque e Bruxellensi catholica. Scriptores autem Latini, praedocti qui sint viri gradibus doctorum honestandi quibusve de causis honores eisdem deferantur, in id genus documentis conficiendis traditos quosdam sequuntur mores. Itaque apud Bruxellenses fere fit ut diplomata sint tripertita, id est in ternas concludantur periodos;

prima enim et tertia sunt sollemnes et quasi e formula recurrunt: quibus aut nomen rectoris praemittitur et salus, aut doctoratus honor litterarum fide confirmatur; altera autem et varianti causae enumerantur, cur deferatur honor supra dictus: quae solet esse longior et multipartita; scriptori ipsam temptanti non solum licet tempora absolute usurpare (nam tempus orationis principalis, cum sit praeteritum, non tamen semper requirit imperfectum vel plus quam perfectum in subordinatis), sed etiam non nulla est libertas, ut cui fas sit versus inserere vel veterum proferre locos. Qui diplomata Latina scribit, quisquis est, aliquam venatur dignitatem, numerositatem, gravitatem, elegantiam: quae omnia in altera ea, quam dixi, diplomatis parte interdum elucet. Utinam et in tribus exemplis infra allatis! Plura autem qui cupiat, librum Alfonsi Fitzek adeat, qui inscribitur *Latein in unserer Zeit. Europäische Kulturgeschichte im Spiegel von Ehrenurkunden* (Herbipoli [J.W. Naumann], 1990).

¹ Cui errorem irrepsisse edito libello statim animadverti: hoc est enim scriptum: «provincia erat feracissimum». Fuerit olim triste lupus stabulis; at provinciam ego esse feracissimam malo quam feracissimum!

1. DIPLOMA H.C. CORNELII VERHOEVEN, PHILOSOPHI AC SCRIPTORIS

CONSTANTINVS MATHEEVSSSEN, FACVLTATIS IVRIS PROFESSOR ORDINARIVS, LITTERARVM DOCTOR, IVRIS LICENTIATVS, RECTOR VNIVERSITATIS CATHOLICAE BRUXELLENSIS

OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR CORNELIVS VERHOEVEN, PALAEOPHILOGIAE DOCTOR, EMERITVS ANTIQVAE PHILOSOPHIAE NECNON METAPHYSICAE IN STVDIORVM VNIVERSITATE AMSTELODAMENSI PROFESSOR, IN CATHEDRA DICENDO ALVMNOS DIV ET FELICITER DOCVERIT, DOCENDO ERVDIERIT, ERVDIENDO DELECTAVERIT;

CVMQVE VIR ILLE ERVDITISSIMVS COMPLVRIBVS COHONESTATVS PRAEMIIS INGENTI IN LVCEM

EDITA VARIORVM SERIE LIBRORVM TVM PHILOSOPHIAM PLATONICAM DESERTAM PAENE COLIQVE DESITAM ATQVE AB VNIS TRACTATAM INDAGATORIBVS ACADEMICIS AD VITAM VERE VITALEM APVD BATAVOS ET BELGAS QVODAM MODO REVOCaverIT, TVM NON IGNARVS ETIAM CAPILLVM VNVM (VT SCRIPTOR AIT ILLE) HABERE VMBRAM SVAM, AD RES VITAE COMMVNES, QVAS PRO VILIORIBVS HABET PHILOSOPHORVM NATIO, ANIMVM DILIGENTER ADVERTERIT, EASDEMQUE SVBTILITER ET SAGACITER INVESTIGaverIT;

CVM DENIQVE VIR IDEM SAPIENTISSIMVS, SPECIALIS DOCTRINAE FINIBUS NON CONTENTVS, ARTA PHILOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE CLAVSTRA EFFREGERIT, SINGVLARIQVE ET SVAVI ADMODVM DICENDI GENERE VSVS, SALE IRONIAE SAEPIVS ASPERSO, PHILOSOPHIAM CVM LITTERIS MIRVM IN MODVM CONIVNXERIT DOCTRINAMQVE ET SAPIENTIAM EGREGIE CONCILIAVERIT,

NOS, PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ASSENTIENTE, EVNDEM EXIMIVM VIRVM

CORNELIVM VERHOEVEN

DOCTOREM HONORIS CAUSA CREAVIMVS ET RENVNTIAVIMVS.
CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS SVBSCRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.
BRVXELLAE POSTRIDIE NONAS FEBRVARIAS ANNI A PARTV VIRGINIS MDCCCCLXXXVIII.

2. DIPLOMA H.C. GEORGII PUJOLI SOLEY, VIRI IN RE PVBLICA VERSANTIS

CONSTANTINVS MATHEEVSSSEN, FACVLTATIS IVRIS PROFESSOR ORDINARIVS, LITTERARVM DOCTOR, IVRIS LICENTIATVS, RECTOR VNIVERSITATIS CATHOLICAE BRVXELLENSIS

OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR GEORGIVS PUJOL I SOLEY, MEDICINAE DOCTOR IN STVDIORVM UNIVERSITATE BARCINONENSI OLIM RENVNTIATVS, SEPTENDECIM IAM ET QVOD EXCVRRIT ANNOS REGIONI PRAEFVERIT CATALONIENSI AMPLVMQVE ILLVD ET ILLVSTRE PRAESIDIS MVNVS CIVIVM SVORVM VSIBVS DESERVIENDO PRVDENTER LAVDABILITERQVE SVSTINVERIT;

CVM IDEM VIR VALDE STRENVVS PATRIAE FAVOR AMPLIFICANDAE POPVLARIQVE IMPERIO MODERANDAE IAM INDE AB EIS TEMPORIBVS, CVM TYRANNICA DOMINATIONE OPPRIMERETVR PATRIA, MIRA SVI PERICVLI SECVRITATE CIVIBVS SVASERIT SVIS VT PATRIO FLAGRANTES AMORE IN LIBERTATEM SESE VINDICARENT POLITICAM, CVLTVM SVVM CIVILEM TVERENTVR ET CONSERVARENT, REIQVE OECONOMICAE QVAM EFFICACISSIME CONSVLERENT PROVEHENDAE;

CVMQVE VIR ILLE EA CONTENTIONE SEMISAECVLARI ARTIORIBVS INTER CIVITATES CONIVNCTIONIBVS HAVD SIT ADVERSATUS, IMMO NATIONIS SVAE GENTIVMQVE EVROPAEARVM COMMVNITATI MAGNOPERE FAVERIT EAMQVE SIVE ALTER A PRAESIDE SIVE PRAESES IPSE CONCILII REGIONVM EVROPAEARVM FORTITER ET ELOQVENTER PROPVGNAVERIT;

CVM DENIQVE VIR IDEM ERVDITISSIMVS NON NESCIVS DOCTRINAM ESSE (VT IUSTVS AIT ILLE LIPSIVS) QVAE AD PRVDENTIAM POLITICAM ET VIRTVTEM FACIAT VALIDE, MAGNA SCRIPTIONVM COPIA QVAESTIONES DE REBVS PVBLICIS SCIENTER SIT INTERPRETATVS SPLENDIDAMQVE REI



PUBLICAE FORMAM ET SPECIEM, ANIMO DIV CONCEPTAM, CALAMO EGREGIE EXPOSVERIT,
NOS, PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ASSENTIENTE, EVNDEM EXIMIVM
VIRVM

GEORGIVM PUJOL I SOLEY

DOCTOREM HONORIS CAUSA CREAVIMVS ET RENVNTIIVM.
CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PUBLICVM A NOBIS SVBSCRIPTVM ET
VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.
BRUXELLAE POSTRIDIE NONAS FEBRUARIAS ANNI A PARTV VIRGINIS MDCCCCLXXXVIII.

3. DIPLOMA H.C. CORNELII NOOTEBOOM SCRIPTORIS

CONSTANTINVS MATHEEVSSSEN, FACVLTATIS IVRIS PROFESSOR ORDINARIVS, LITTERARVM
DOCTOR, IVRIS LICENTIATVS, RECTOR VNIVERSITATIS CATHOLICAE BRUXELLENSIS

OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR CORNELIVS NOOTEBOOM, SCRIPTOR TAM VARIVS ET MVLTIPLEX QVAM
SINGVLARIS ET MVLTISCIVS, LITTERARVM NEDERLANDICARVM NVLLVM FERE GENVS NON
TEMPTAVERIT FELICITER TRACTAVERITQVE;

CVM DEINDE IN POLITIORVM THESAVRO LITTERARVM AVGENDO LOCVPLETANDOQVE NOVAS
QVODAMMODO ET INEXPLORATAS INIERIT VIAS, QVIPPE QVI (VT CETERA MITTAMVS) ITINERVM
PEREGRINATIONVMQVE SVARVM DESCRIPTIONIBVS AD VNGVEM LIMATIS FICTAQVE FACTAQVE
AVDACTER IMMISCVERIT;


CVM DENIQVE PERMVLTIS AVCTVS PRAEMIIS, NON SOLVM DOMESTICA PRAECLARVS LAVDE
EVASERIT IS

CVI PLAVDAT POPVLVS, CVIVS LAVDENTVR ABVNDE
VERBA SOLVTA MODIS, VERBA LIGATA MODIS,

VERVM ETIAM VELVT MVNDI CIVIS TANTAM SIBI COMPARAVERIT GLORIAM VT LITTERARVM
MONVMENTA SIMVL SVA, SIMVL NOSTRATIA APVD EXTERAS GENTES NOBILITAVERIT,

NOS, PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ASSENTIENTE, EVNDEM EXIMIVM
VIRVM

CORNELIVM NOOTEBOOM

DOCTOREM HONORIS CAUSA CREAVIMVS ET RENVNTIIVM.
CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PUBLICVM A NOBIS SVBSCRIPTVM ET
VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.
BRUXELLAE POSTRIDIE NONAS FEBRUARIAS ANNI A PARTV VIRGINIS MDCCCCLXXXVIII. 

DE PHAENOMENIS PARAPSYCHICIS

ET DE ALIIS REBUS QUAE VIDENTUR NATURALIBUS LEGIBUS EXPLICARI NON POSSE
SCRIPSERUNT AMALIA LUZZI, THOMAS LANESE ET NICOLAUS BALDASSINI

Tres textus, quos infra legetis, conscripti sunt a discipulis, qui docente Paula Marongiu linguae Latinae Florentiae student in lyceo a Dante vocato. Qui discipuli de phaenomenis parapsychicis orationes paraverunt habueruntque in Circulo Latino Florentino. Videatis, quam bene fecerint. Magistri, vestros discipulos impellatis oportet ut similia faciant!

Amalia Luzzi:

Phaenomena parapsychica sunt ea, quae minimum uni ex tribus principiis non oboediunt quibus oboediunt omnes res naturales. Haec principia sunt: (1) res percipi tantum sensibus potest; (2) res movetur tantum vi naturae; (3) causa semper effectum antecedere debet. Telepathia, id est res ex mente alius hominis percipere a primo principio dissentit; telecinesis, id est res vi mentis movere, a secundo; providere, id est prospicere effectum antequam ostendatur eius causa, a tertio. Parapsychologia est scientia quae talibus rebus studet. Iam antiquis temporibus ea phaenomena cognoscebantur. Herodotus nobis narrat primum exemplum investigationis phaenomeni parapsychici. Rex Croesus, bellum gessurus in Persos, consulere oraculum volebat ut sciret num rem prospere confecturus esset. Ut securus esset de oraculi auctoritate, omnia temptavit. Unicuique enim misit legatum, qui quaereret quid die ac hora statutis faceret Croesus, rex Lydorum. Cum ex omnibus oraculis tantum Delphicum praedixisset Croesum testudinem et agnum concoquere, rex id de bello interrogavit.

Etiam Athenodorus philosophus temporibus antiquis phaenomenum parapsychicum investigavit. Nam, cum sciret domum quandam a spectris infestari, eam conduxit et habitavit. Ubi spectrum vidit, id secutus est donec evanuit; hic terram effodit, et hominis ossa invenit. Ossibus sepultis, spectrum in perpetuum disparuit.

A Media quae dicitur Aetate, homines omnino desierunt ea phaenomena investigare, et tantum altera parte saeculi XVIII rursus coeperunt id facere. Magni momenti fuerunt Franciscus Antonius Mesmer et Armandus de Puységur, eius

discipulus. Mesmer investigabat vim magneticam, cui postea nomen datum est hypnosis, et maxime operam dabat bonis rebus quae ex illa consequerentur; dum ille iis bonis studet, discipulus adnadvertit aliquos homines, sopitos, videri telepathicos vel divinos esse, et se dedit studio talium phaenomenorum; temporibus nostris ille conditor dicitur eius scientiae, quae facultatem futura per somnum praesentiendi investigat.

Ab initio saeculi XIX est cura phaenomenorum parapsychicorum per totam Europam diffusa. Anno 1829 editum est opus Iustini Kerner, quod inscribebatur Vates Prevorstiensis (*Die Seherin von Prevorst*), quo dicebatur de femina quadam quae, cum sopita esset, species videbat, res vi mentis movebat et, cum aliquis de quadam interrogatione cogitabat, ei respondebat. Hoc opus secutae sunt multae pervestigations de his rebus. Anno 1882 condita est in Britannia Societas Phaenomenis Psychicis Investigandis; illa facta est maximum instrumentum investigationis in Europa. In Francogallia anno 1919 condita est societas similis Britannicae, cui datum est nomen Institutum Metaphysicum Omnium Gentium. In Italia praesertim Ernestus Bozzano et Henricus Morselli phaenomenis de quibus antea dixi diligenter student.

At casus ex quo nascitur hodierna parapsychologia evenit in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis. Nam experimenta, quae usque ad id tempus facta erant, non putabantur omnino ad scientiam pertinentia, quamvis magna cura peracta essent, quod fieri non posset ut cum optabatur ea iterarentur: saepe homo, in quo viri docti experimenta faciebant, se gerebat aliter si mutabatur qui experiebatur. Cum hanc difficultatem animadvertisset, Iosephus Banks Rhine psychologus petivit et obtinuit officinam in Universitate, cui nomen Duke University, in qua studeret quod ad numerum pertinet phaenomenis parapsychicis. Pro certo habebat omnes homines rebus parapsychicis posse moveri, tamquam minime, et se hoc metiri posse experimentis facilibus saepissime iteratis. Rhine statuit experimenta facere de perceptione quae non venit ex sensibus (litteris compendiariis Anglice ESP). Ut investigationem duceret, usus est viginti quinque



Hergé, *De Titini et Miluli Facinoribus. De sigaris Pharaonis, in Latinum vertit C. Eichenseer, ELI/Casterman 1990, p. 38.*

paginis, quae antea dicebantur paginae Zener, ex nomine earum inventoris, postea paginae ESP; ex his paginis, quinque quadratum, quinque undam, quinque circulum, quinque crucem, quinque stellam effingebant. Homo debebat dicere quae imago ipsius sententia exprimeretur in pagina, quam psychologus manu tenebat. Tantum quinta quaque vice fieri potest ut homo casu recte dicat imaginem effictam; experimento saepissime iterato, recognosci potest num plures imagines recte dictae sint quam rationes indicant.

Anno 1942 Humphrey doctrix probavit existere effectum deminutionis qui dicitur, id est quod homo paene semper recte dicebat plures imagines in prima serie experimentorum quam in secunda. Hoc confirmabat responsa non solum fortuita esse, quia si vere fuissent, numerus imaginum recte dictarum non multum mutatus esset, quivis esset numerus experimentorum. Ita probatum est perceptionem extra sensus existere.

Cum repertum est effectum deminutionis, cuius causa certe erat fatigatio, viri docti, qui rebus parapsychicis studebant, coeperunt examinare animi condiciones, quae perceptionem extra sensus movent. Inventum est prosperius succedere hominibus ad res externas promptis et iis qui in phaenomena parapsychica credebant. Multi viri docti viderunt homines saepe praeferre quendam modum ducendi experimentum, quo feliciores exitus habebant. Anno 1939 Carrington invenit phaenomenum «mutationis temporalis», quo homo plerumque recte dicebat imaginem non paginae quam psychologus manu tenebat, sed paginae prioris aut sequentis. Magni momenti est etiam psychologus et consuetudo inter psychologum et hominem; nam alii favent phaenomenis parapsychicis, alii autem ea impediunt.

Docti coeperunt studere aliis phaenomenis ab anno 1947, quo Paulus Vasse coepit studere robori

telecinesis in arbores et animalia; nam aliqui valebant, tantum usi vi mentis, facere ut arbores crescerent et vulnera ad cicatrices venirent. Sexto et septimo decennio saeculi XX incipit studium phaenomeni insoliti, quod psychophonia dicitur. Casu inventa est anno 1959 a Friderico Jürgenson, cinematographicae scaenicae artis moderatore, cum ivit in silvam ut cantum avium magnetophonio incideret. Phonotaeniam audiens, animadvertit inter cantus avium esse voces humanas, quas in silva non audiverat.

Anno 1974 Constantinus Raudive primam indagationem de hac re fecit. Sententiae doctorum variae sunt; nam alii dicunt causam huius phaenomeni esse vestigia soni quae in aere manserunt, alii praesentiam spectrorum, alii subconscientiam eius qui experimenta facit quod imprimit cogitationes in phonotaeniam; nonnulli putant illud phaenomenum ex erroribus nasci.

Octavo et nono decennio parapsychologia non multum progressa est; aliqui incipiunt eam coniungere cum physica et quaestionibus quae ad mores et societatem hominum pertinent.

*
* *

Thomas Lanese:

In hominum vita multa sunt facta incredibilia, quae explicari non possunt, quamquam scientia nostra maxima culmina attingit.

Hodie praesertim plurimi homines docti animum cogitationemque ad haec prodigia intendunt atque cottidie nova mirabiliaque eventa televisione ephemeridibusque audimus. Mysterium mortalium vitam amplectitur. Nam etiam apud antiquos auctores Graecos Latinosque innumerabilia prodigiorum exempla invenimus quae saepe similia nostrorum temporum eventibus

sunt. Inter tot phaenomena aliqua narrabo.

Memorabilia sunt quae de Thutankamonis sepulcro dicuntur. In eo incantamentum erat. Nam, cum Lord Carnavon pharaonis sepulcrum invenit, notae fascinationis immemor, eam violavit. Sed eius laetitia brevis fuit, quod paulo post affectus est pernicioso morbo, medicis ignoto, atque brevi mortuus est. Aliis, qui sepulcrum violaverunt, idem finis fuit. In sepulcri sigillo enim scriptum erat: «Mors rapidis alis illis, qui pharaonis sepulcrum violabunt, superveniet».

Notabile etiam prodigium, quod de nostro «divino» poeta Dante narratur, quo eius summam Comoediam completam habemus. Post poetae mortem vero, anno MCCCXXI, eius filii Iacobus Petrusque in magna aegritudine erant, non solum propter patris mortem, sed etiam quia ille poema suum non compleverat. Sed quadam nocte Iacobus in somno vidit patrem suum, qui ei locum, ubi chirographi erant paginae, quae deerant, monstravit.

Etiam in ephemeridibus nuper legimus quandam Picenum in somnio a patre locum, ubi testamentum suum, quod propinqui auferre volebant, abditum esset cognovisse. Somnia igitur, ut multis videntur, fenestra ad nostra eventa praesentia futuraque cognoscenda sunt.

Apud Ciceronem quoque innumerabilia exempla somniorum aliquid enuntiantium et praenuntiantium invenimus, ut Arcadem, qui comitis iter una facientis mortem in somnio visam patefecit aut ut Calpurniam, quae Caesaris mortem nocte eam antecedente somniavit, ut Plutarchus dicit. Cupiditas igitur rerum futurarum cognoscendarum semper in hominibus fuit. Nam saepissime vates Romani ad futura cognoscenda animalium visceribus et avibus utebantur et interpretabantur, at nos quoque hodiernis diebus habemus nostros augures vatesque, qui paginis, potionis cafeariae sediminibus aliisque rebus

divinare futura conantur. Antiqui habebant libros Sibyllinos, quos incognita anus Tarquinio Superbo vendiderat, et conditos in sacrario ut divina oracula homines consulebant. Nos autem inter alia vaticinia habemus «Centurias», a Michaele de Nostredame, qui etiam Nostradamus appellatur, editas, quas ad eventa futura cognoscenda consulimus.


Inter alia phaenomena, quae explicari non possunt, etiam phantasmata sunt. Athenodorus philosophus Graecus de eis loquitur et Plinius quoque dicit se nescire utrum phantasmata sint et habeant figuram, an inania et vana ex nostro metu imagines accipiant. Tam multi sunt hodiernis temporibus casus, qui de phantasmatibus narrantur, ut non possint hic brevi memorari. Omnes sciunt quae de «ectoplasmatibus» dicuntur.

Saepissime audivimus de patris Pii Petralciniensis miraculis, inter quae memoria dignum mihi videtur donum, quod ipsi ubique esse permisit. Etiam apud Gellium legimus de quodam Cornelio sacerdote, qui eodem tempore Patavii et in Thessalia fuit.

Mirabile dictu denique quod Lucanus de evocatione animae in corpus militis pugna Pharsalia necati tradidit.

Quae dixi et permulta alia prodigia nobis ostendunt arcana semper omnium temporum homines movisse; solum tamen hominum opiniones de prodigiis dissimiles sunt. Olim in eis divinae voluntatis iudicium videbatur, hodie nostra ratione omnia explicare conamur. Quemadmodumcumque res sunt, dicere possumus ipsam mortalium vitam magnum arcanum esse.

*
* *



Op. cit. p. 8.

Nicolaus Baldassini:

1. Godefridus Goodman praecerat societati olei vivi Americanae. Doctus oeconomia et mercatura, videbatur solum in rationem credere; qua re difficile erat eum uti antiquarum rerum scientia metapsychica, qua homines praediti facultatibus parapsychicis utiles sunt ad patefacienda loca effossionibus opportuna.

Conatus parapsychologicos Goodman coepit anno millesimo nongentesimo septuagesimo primo, cum cognovit anthropologos orthodoxos pro certo habere homines primum ortos esse in terris in America circiter abhinc sedecim milia annorum. Goodman perspexit hoc tempus esse nimis recens. Immo putabat se inventurum esse vestigia humanitatis antiquioris maxime in Arizona, si scisset ubi quaereret.

Ut hoc inveniret, consuluit Aaronem Abrahamson notum paragnostam Oregoniensem. Vates dedit multa consilia ingenii fervore parta, quae adiuverunt Godefridum Goodman in inveniando alveo sicco fluminis in urbe Sancto Francisco Peaks, prope Flagstaff.

Non erat facile invenire vestigia civitatis exstinctae, quia numquam ibi viri docti invenerant reperta quae ad antiquorum hominum artis monumenta spectabant. At Goodman non solum omisit hoc factum, quod potuisset eum adfligere, sed etiam interrogavit paragnostam quas formationes per effossiones reperturi essent.

Cum foderent loco monstrato a quodam homine facultate res parapsychicas percipiendi praedito, Goodman invenit opera ante viginti milia annorum exstructa. Multo etiam mirabilius fuit quod septuagenae quinae centesimae partes

praedictionum ad terrestres naturae investigationem pertinentium illius Abrahamson erant rectae. Vates Oregoniensis prospexit homines districtos in effossionibus inventuros esse crustas antiquas centum milia annorum in altitudinem septem metrorum. Et ita fuit.

2. Maria L. Cousett, Illinoesiana ex urbe Peoria, anno millesimo nongentesimo octogesimo tertio apparere desiit.

Magistratus cogitabat eius sponsum, Stanislaum Holliday minorem, eam necavisse. Sed cum corpus non invenisset non potuit facere eum reum; tandem, post multa experimenta, moderatores urbis tulerunt quaestionem ad Margaritam Alexander.

Margarita Alexander, quae extra sensus percipere poterat, dedit definitam descriptionem loci ubi corpus mulieris erat. Dixit magistratum reperturum esse corpus apud aggerem, flumen et pontem; videbat etiam sacram aedem et salem. Circa reliquias futura esse folia. Caput inventum iri longinquum a corpore; quendam hominem, tantum una manu praeditum, inventurum esse corpus.

Aliquot post dies quidam minister publicus, qui truncatus erat altera manu, invenit virginis reliquias apud aggerem prope pontem fluminis Mackinaw; circa ea loca salis horreum et aedes sacra erant. Corpus iacebat in fossa paulum alta, multis foliis tecta. Alter pes deerat et caput concisum erat feris. Post corpus repertum Margarita Alexander dixit: «Illa virgo quidem reperiri volebat. Numquam animus perit, sed superest. Ea dicebat: hic adsum, me inventum venite.»

MUSA IAPONICA

謹賀新年

MOS MODVSQVE

Odi quod extra litus Vlixei
uestigiorum re sibi conscium
gentes tulerunt, non Sophoclen,
non Samios nimis audientes.

quo di ferebant cumque, sequi uolens, 5
arcana prodit dira Salus Plato:
quis dictus ipsi est Ardiaeos
perpetuo reus igne Ditis?

CECINIT K. IAN. A.V.C. MMDCCLI

ARITVNEVS MIZVNO



PRIMUS RETIARIUS IN LUCEM PRODIIT !

Gaudeamus oportet: nam ecce novi commentarii periodici Latini, quibus longam vitam exoptamus. «Retiarius» hoc habet peculiare, quod in typographeo non tractatur, quod cursu publico non circummittitur, sed ad lectores advolat... illo ingenti araneo mundano nixus! Laudibus ferendus est moderator Terentius Tunberg, qui pro hoc primo Retiario tot et tanta colligere valuerit.

Itaque curratis ad hunc locum interretialem:

<http://www.uky.edu/ArtsSciences/Classics/retiarius/>

atque ibi multas symbolas invenietis, inter quas:

- «Tabacum et Diabolus», fabula Iaponica ab Accio Watanabe Latine reddita;
- praeconium Societatis Latinae (C. Eichenseer);
- de linguae Latinae praeceptorum conventu (A. Miraglia);
- de conventiculis Lexintoniae habendis (T. Tunberg);
- de Ucrainorum constitutionibus;
- «Quae Latinitas sit moderna» (T. Tunberg);
- «Vocabula Civitatis Solis a Thoma Campanella scriptae» (N. Gross);
- «Catalogus operum recens editorum quae ad sermonis Neolatini proprietates spectant» (T. Tunberg);
- Iani Nicii Erythraei «Eudemiae» libri decem editi a Lina IJsewijn-Jacobs.

Ergo ingens copia rerum Latinarum legendarum. Interrete nondum est totum Latinum, sed, si Retiarius ita perrexerit, inde mox non longe aberimus!

LEGITE QUAESUMUS HANC EPISTULAM, QVAE NOBIS NUPER ALLATA EST:

Avete,

Hispanus Caesaraugustanus septemdecim annos natus sum, et nomen mihi est Nicolás, sed omnes me appellant Niko. Quod maxime volo est in epistularem amicitiam venire cum aliquo/a ut linguam Latinam faciam(us) meliorem. Studia mea varia sunt: musicam audire, libros legere, fabellas scribere, spectare pelliculas...

Multis iam ex mensibus quaerens at non inveniens epistularem amicum/am sum, et spero vos capaces esse me iuvandi, propter quod mille vobis gratias ago superiores. Scio me iuvenem esse, fortasse existit aliquis etiam iuvenis ad quem epistulas mittere possem, at aetas non est gravis mihi.

Ecce inscriptio cursualis mea: Nicolás Sarmiento, Sainz de Varanda 17, esc. 2ª Pral. B E-50007 Zaragoza.

Non dubitamus quin inter vos, lectores, sint sive iuvenes qui cum Nicolao instituere velint commercium epistulare, sive magistri qui hoc utile et iucundum commercium discipulis suis proponere possint. Itaque vobis suademus, ut eius spei respondeatis.





LATINE LOQUI ...

CONVENTUS INTERNATIONALIS DE VIIS RATIONIBUSQUE LINGVAE LATINAE DOCENDAE PENITUS RENOVANDIS

fiet Montellae in Italia **a die 24 m. Aprilis in diem 1 m. Maii a. 1998**, patrocinantibus Universitate Studiorum Salernitana et Instituto Italico Studiis Philosophicis promovendis, moderantibus Sodalitatibus Italicis Latinitati provehendae et Academia *Vivarium Novum* nuncupata. E praeconio huius conventus didactici liceat nobis haec verba excerpere, quae utinam pertinerent ad omnes Latinistarum conventus:

«**QUA LINGUA UTENDUM SIT IN CONVENTU.** Cum omnes ii, qui conventui intererunt, veri similiter linguam Latinam calleant, haud abs re moderatoribus visum est eundem eligere sermonem, quo oratores in acroasibus utantur suis: neque enim facile fieri poterat, ut ex tam multis linguis vernaculis in alias linguas orationes converterentur, neque opportunum utileque est visum verba a Latinitatis peritis ad homines sermonem Latinum item callentes facta alia lingua quam Latina proferri, praesertim cum omnes, qui huiusmodi omnium gentium atque nationum conventibus umquam interfuere, experti procul dubio sciant quanta Babelica confusio ex interpretibus ex tempore orationes summa linguae volubilitate saepe habitas convertere conantibus exoriri soleat. Cum igitur non sint multiplicandae linguae sine necessitate, omnes orationes acroasesque Latine fiant oportet.»

Qui participare cupiant scribant ad: Aloisium Miraglia, Contrada S. Vito 5, I-83048 Montella
Telephonum et telecopiatrum: 0039-827 601643

AESTIVA ROMAE LATINITAS

Octo hebdomades studiorum linguae perennis auctorumque 2000 annorum, cum excursionibus! **A die 8 m. Iunii in diem 1 m. Augusti a. 1998** in Ianiculo Romae, prope Sanctum Pancratium.

Qui participare cupiant scribant ad: Reginaldum Foster, Piazza S. Pancrazio 5 A - I-00152 Roma
Tel. 0039-6 58 54 02 06, telecop. 0039-6 58 54 03 00

IN AMERICA: DUO CONVENTICULA LATINA!

Duo Latine loquentium conventus anno 1998 Lexingtoniae in civitate Kentuckia habebuntur, quorum **primus a mensis Mai die 24 usque ad 31, alter a mensis Iulii die 23 usque ad 31** celebrabitur. Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. Id tantum in ipsis conventibus agetur ut socii facultate Latine dicendi, audiendi, intelligendi assuefiant. In hoc tantum cottidie ab horis matutinis usque ad vespertinas summa opera et contentione incumbetur. Non solum disseretur et disputabitur de litteris et libris, sed argumenta quoque ad res cottidianas, domesticas, familiares spectabunt. Haec conventicula ludimagistris, professoribus, omnibus, qui aliquam Latine sermocinandi et disputandi facultatem consequi cupiant, magno erunt subsidio et emolumento. Proderunt sessiones etiam iis qui Latine loqui sciunt, sed qui occasionem expetant facundiae exercendae commodam et iucundam. Denique, id quod haud minimi momenti est, iidem postea invenient scripta Latina sese quodammodo facilius, citius, melius legere et intellegere posse - idque multo maiore cum fructu.

Qui participare cupiant scribant ad: Terentium Tunberg - Department of Class. Languages,
1015 Patterson Office Tower - University of Kentucky
Lexington KY, U.S.A. (clatot@pop.uky.edu)

LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

Haec Septimana Amoeneburgensis fiet in Hassia **a die 19 in diem 25 m. Iulii a. 1998.**

Qui participare cupiant scribant ad: Thomam Gölzhäuser, Kleeberger Str. 40 - D-35510 Butzbach
Tel. 0049-6033 16557

FERIAE LATINAE

a P. Suitberto Siedl conditae fient:

- Tinniae in Carinthia **a die 25 m. Iulii in diem 1 m. Augusti a. 1998.**

Qui participare cupiant scribant ad: Kath. Bildungsheim Sodalitas, A-9121 Tinje / Tainach

- Nicaeae ad litus Mediterraneum **a die 17 in diem 22 m. Augusti a. 1998.**

Qui participare cupiant scribant ad: Clementem Desessard, Résidence des Collines, C9,
500 rue Leo Brun - F-06210 Mandelieu

SEMINARIUM PRAGENSE

ab associatione c.n. L.V.P.A. (i.e. Latinitati Vivae Provehendae Associatio) institutum fiet **a die 31 m. Iulii in diem 7 m. Augusti a. 1998.** Thema principale erit de poetis scriptoribusque Latinis saeculi nostri. Itaque invitantur non solum ii qui hodierno tempore carmina, epigrammata, chronogrammata Latine pangunt, fabellas Latine fingunt, symbolas Latine componunt, sed etiam eorum auditores et lectores, necnon tirones.

Qui participare cupiant scribant ad: Ingam Pessarra-Grimm, Nordstrasse 39, D-59174 Kamen
Telephonum et telecopiatrum: 0049-23 07 15617

SEMINARIUM LATINITATIS VIVAE HELVETICUM MORSACENSE

Morsaci in Helvetia, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pagorum» situs est, Dr P. Caelestis Eichenseer et D.rix Sigrides Albert participes scienter et delectabiliter inducunt ut Latine loquantur et ut usum linguae Latinae iterum iterumque exerceant, adhibito recto pronuntiatu, rectis locutionibus, rectis, ubi necesse est, neologismis. **A die 2 in diem 8 m. Augusti a. 1998.**

Qui participare cupiant scribant ad: Societatem Latinam, Universität FR 6.3 - D-66041 Saarbrücken

PROXIMUM SEMINARIUM BELGICUM FIET IN... HISPANIA!

Rogitantibus Hispanis Latinistis, iam diu agebatur de quodam seminario Latinitatis vivae instituendo in Hispania. Quod usque adhuc variis de causis fieri non potuit, nunc autem iam instat fietque **a die 18 in diem 25 m. Augusti a. 1998.** Nam Societatis Latinae moderatores statuerunt seminarium Latinum, quod ab anno 1983 fieri solet in Belgica, anno proximo transportare Matritum, ubi locus inventus est vere idoneus et multis commoditatibus ornatus; praeter oecum temperatione aeris praeditum etiam natabulum et campus teniludii participibus praebebuntur! Inter quas iucunditates maxima erit Latina institutio D.ris P. Caelestis Eichenseer, cui est huius rei diuturna et mirabilis experientia, et D.ricis S. Albert, quae tirones delectabiliter allicere solet ad colloquia Latina.

Qui participare cupiant scribant ad: Gaium Licoppe, Avenue de Tervueren 76, B-1040 Bruxelles

LINGUA LATINA - SPECULUM EUROPAE MODERNAE

Hoc symposium Latinum III instituetur ab Academia scientiarum internationali Sanmarinensi, Arimini **a die 31 m. Augusti in diem 4 mensis Septembris a. 1998.** Thema erit «Lingua Latina - lingua internationalis».

Qui participare cupiant scribant ad: Veram Barandovská, Kleinenberger Weg 16 - D-33100 Paderborn
tel. 0049-5251 163522, telecop. 0049-5251 163533

Ab eadem peti potest liber, qui inscribitur «Fasti Europenses»; quo proponuntur 365 locutiones linguis Latina et esperantica et 13 officialibus Unionis Europaeae exaratae; etiam singulae nationes Europaeae Latine et esperantice praesentantur. Editio secunda (in annos 1999-2000) praebebitur aestate 1998. Pretium subscriptionis (ante 30/06/98): 10 DM.